

† R. P. Iosephus Franciscus Wand (1882-1937)

(Vice-Prov. de São Paulo)



Qui egregii illius missionarii P. Stephani Heigenhauser necrologium vernaculo sermone scripserrat¹, R. P. Wand, eodem a. 1937 hunc confratrem in morte secutus est, familiam suam religiosam et innumeros foris amicos haud modico afficiens moerore; cum vero ipse quoque eminentioribus Instituti sodalibus adnumerandus sit, breviter et eius vitam in *Analectis* narrari decet.

Iosephus Franciscus Wand lucem huius mundi primum aspergit Kal. Dec. 1882 in urbe Heiligenstadt, provinciae Saxoniae, nobis Redemptoristis nota, quod inde ab a. 1921 ibi domum habemus. Cum ex fructibus cognoscatur arbor, Iosephi Francisci parentes christianos optimos fuisse necesse est; siquidem e liberis suis sex filios in sacerdotio et duas filias in religione Deo donaverunt. Iosephus Franciscus, horum filiorum sacerdotum quartus, in Germania quidem Inferiore seu septentrionali natus est, sed Congregationi nostrae nomen dedit in Germaniae Superioris Provincia.

In iuvenatu eius animus, iuvenili impetu saepe ad facta minus bella tractus, forti simulque suavi manu Servi Dei P. Gasparis Stanggassinger formatus est. Vota emisit d. 8 Sept. 1902. Iam iuvenis clericus, quando sacelli domestici curam habebat, cum Psalmista dicere poterat: *Domine, dilexi decorum domus tuae* (25, 8); immo *zelus domus tuae comedit me* (68, 10). Cuiusmodi dilectio zelusque in eo viva manserunt usque ad vitae finem.

Sacerdotio auctus d. 16 Iun. 1907, Superiores suos rogavit ut sibi licaret, non in patria, sed in longinqua Missionis terra retia sua mittere. Venit igitur a. 1908 in «Terram S. Crucis», ubi primos apostolatus campos repperit in Penha et in iuvenatu Apparecidano. Verum ardenti eius zelo magis placebant vastissimae silvae ac planities Status Goyaz cum tot animalibus valde derelictis, quo revera a. 1918 missus est, membrum communitatis Campinas.

Exinde per magnam anni partem, equo vectus, illas regiones peragrabat, ubi saepe etiam panis et aqua desunt, nedum vitae commoditates

¹ Cfr. *Analecta XVI* (1937), 124-127.

habeantur; at cum esset fortis corpore atque animo vel fortiore, maximas molestias privationesque non faciebat flocci. Pluries comitabatur Illūm Antistitem Prudentium Gomes da Silva vastissimam dioecesim Goyaz visitantem, et postquam summo suo solacio huic apostolico Praesuli in ipsa pastorali visitatione morienti adstitit, tam sanctae mortis notitiam peculiari opusculo in vulgus exire fecit (Apparecida, 1921).

Etsi P. Wand cuiuslibet hominis consuetudine affabiliter digneque uti sciebat, tamen vera praedilectione per totam vitam plebem humilem simplicemque, ruri decentem, prosequebatur.

Inde ex a. 1924 officiis gravibus in Vice-Provincia laudabiliter perfunctus est; fuit enim Rector et parochus in Apparecida, Superior in Cachoeira, Vice-Provincialis (1930-1935), iterum Rector et parochus in Apparecida.

Eius sagacitati sollertiaeque multa debentur opera adhuc permanentia. In Cachoeira iuxta domum nostram sacellum publicum aedificavit, simplex quidem, at pulchrum. Basilicam Apparecidanam ditavit fonte baptismali, organo, ostensorio magnifico aliaque supellectile sacra; quae opera nova simul eius «artificis» indolem gustumque testantur. Benignitatis autem humanitatisque eius testes ibidem sunt «Villa Vicentina» (i. e. colonia nova pauperum paroeciae) et hortus seu viridarium recreandis peregrinantibus destinatum.

Mense Septembri a. 1936 in corpore dilecti confratris eosque tam robusto morbus gravis apparuit: paralysis quaedam a cruribus paulatim cetera organa pervadens et medicorum remediis vel fortissimis illudens. Admirabili constantia aegrotus dolores sustinebat acerbissimos. Per dimidium annum in valetudinario affixus erat lecto, nec privilegio Missam sedendo celebrandi perfrui potuit nisi duodecies. Tam crudeli tormento finem imposuit mors, tandem ab ipso desiderata, d. 4 Iul. 1937, hora 6,45 p. m.

Corpus mortuum dilecti Patris publico populi Apparecidani impendio e S. Pauli urbe eo delatum est, ubi tamdiu pro Deo et animabus laboraverat, et sollemnissima pompa funebri ibidem humatum¹. Sic igitur P. Wand prope Marianum Sanctuarium, sicut in vita semper desiderarat suam exspectat resurrectionem.

Neque dubium esse potest quin haec resurrectio futura sit gloriosa. Praeter ea, quae iam dicta sunt, hanc spem certam ingerit duplex ille amor in corde boni confratris ardens: amor erga SS. Dei Matrem et amor erga S. P. Alfonsum eiusque Institutum.

¹ Cfr. *Boletim Redemptorista* (quae Vice-Provinciae folia periodica Patri Wand existentiam suam debent) IV, n. 5-6 (Oct. 1932), p. 155 s., cum imaginibus duabus praefixis.

Ac primum quidem P. Wand opibus viribus id appetebat, ut *Nossa Senhora Apparecida*, cuius Sanctuario nostri inserviunt, magis magisque in universa Brasilia coleretur. Magnam habuit partem in eo, quod Virgo Immaculata sub hoc titulo a. 1930 principalis Brasiliae Patrona constituta est atque anno inseguente sollemnibus plane singularibus honorata¹.

Ipsa impulsore etiam calendarium illud grande (hodie *Ecos Marianos* appellatum) singulis annis edi coeptum est, quod tantopere prodigiosi Simulacri venerationem in Brasilia diffundit.

Apostolatus autem calami a Patre Wand in sua Vice-Provincia admirabili zelo promotus non solum Marianus erat, sed etiam Alfonsianus et Redemptoristicus. Sub eius forti impulsu varia S. Fundatoris opera in linguam Lusitanam translate sunt, item S. Alfonsi vita et vita S. Clementis aliaque. Iam morti proximus multum gaudebat, audiens prodiisse novam editionem aurei operis *Le glorie di Maria*. Quodsi brevi, ut speratur, primum epistolae S. Doctoris in Lusitanum conversae apparebunt, et hoc instantibus monitis Patris Wand debetur.

Ipse quoque, quantum poterat, pro actis diurnis et foliis periodicis scribebat. Sic notitiae his ultimis undecim annis de eius Vice-Provincia in Analectis evulgatae fere omnes originem trahunt e manuscriptis calligraphicis zelantis P. Wand. Utinam multos hac in re habeat aemulos! Ipsius autem anima, plena ardentissimae illius in S. P. N. Alfonsum dilectionis ac devotionis, de qua S. Alfonsi Successor in ultimis Litteris circularibus scripsit, requiescat in pace sempiterna!